

PROTESTATIONES

Pro Juribus Universitatum Cracoviensis & Zamolcensis adversus prætentam Erectionem Academiae in Collegio Leopoliensi Patrum S. J. Annò præsentì 1759. factæ.

PROTESTATIO ìmã.

Ex parte Peraugusti Capituli Leopoliensis.

Coram Officio Aditq; præsentibus Administrato-
rialibus Sede Vacante Archi-Episcopatus Leopoliensis
constituti personaliter, Petillustres Reverendissimi LAU-
RENTIUS OPEYDOWICZ & LEO SIERAKOWSKI Cano-
nici Cathedrales Leopolienses, ab Illustrissimo & Reverendissi-
mo Capitulo Metropolitano Leopoliensi sub tempus celebra-
tionis Generalis Capituli specialiter electi & deputati, suis &
Illustrissimorum Prælatorum & Canonicorum, totiusq; dicti
Reverendissimi Capituli Nominibus, contra Admodum Reve-
rendos Patres Societatis JESU Provinciae Minoris Poloniae, ex
causis infrascriptis quàm solennissimè protestati & manifesta-
ti sunt, idq; in eo. Quia Ipsi in fundamento cujusdam Privi-
legii à Serenissimo olim IOANNE CASIMIRO Rege de An-
nò 1661. pro aperienda circa Collegium suum Leopoliense U-
niversitate, adinstar Universitatis Cracoviensis obtenti, non ta-
men per Ordines Regni in binis Comitibus Generalibus de An-
nò 1661. & 1662. approbati, quinimo cum supplici eorum
Libello rejecti, privativis aliarum Academiarum Cracoviensis &

Zamoscensis Privilegijs & Diplomatum mortificati, necnon
per non usum à centum propè annis exoleti & antiquati; procura-
tis ad sinistram Cancellariæ Regni informationem à Sacra Re-
gia Majestate Domino Nostro Clementissimo ad Sanctissimum
Dominum Nostrum D. CLEMENTEM XIII. Papam feliciter
Modernam Literis commendatitijs, lucrataq; eo sine Bullâ,
præsentam Universitatem in hac Civitate Leopoliensi innovare
& aperire, novaq; sibi Jurisdictiones, exemptiones, ac lib-
ertates suorum Scholarum, sublata quavis dependentiâ à Lo-
ci Ordinario, absq; scitu & expressa licentia Illustrissimi Archi-
Episcopi tanquam Loci Ordinarii, tum absq; consensu Reve-
rendissimi ejusdem Loci Capituli Metropolitanî, introducere
& exercere nituntur. Cùm autem Reverendissimum Capitu-
lum nedum ob contingentiam ad præsens Vacationis Sedis
Archiepiscopalis prospicere debeat, ne quidquam Sede Vacante
innovetur; verùm etiam ex munere, quovis tempore sibi de Jure
incumbenti, securitati & integritati honorum sibi alijsq; Com-
munitatibus Ecclesiasticis in hac Civitate Leopoliensi degen-
tibus deservientium, providere teneatur; præcipuè ex eo, quia
indisciplinati Scholarum Leopoliensium Studentes plerumq;
tumultibus pacem Civium perturbare, domos invadere, Syna-
gogas Judæorum spoliare, ut notorium est, consueverunt; per-
indeque tam Incolis Civitatis, quam Ecclesiasticis Communi-
tatibus grave damnum in Censibus à Summis locatis, jam aliàs
in effectu occasionarunt, majoresq; violentias & damna sub
titulo Universitatis & exemptionis procuratae causare auderent.
Insuper cùm ejusmodi Universitatis Leopoliensis innovatio tendat
non tantum in præjudicium Jurisdictionis Ordinariæ & Re-
verendissimi Capituli, cæterarumq; Communitatum Ecclesiasti-
carum Leopoliensium, sed deniq; in convulsionem Juris pri-
vativi duarum Academiarum Cracoviensis & Zamoscensis, ad
utilitatem & ornamentum omnium in Regno Capitulorum
totiusq; Cleri Sæcularis fundatarum; signanter verò in proxi-
mam suppressionem Academiæ Zamoscensis huic Civitati Leo-
poliensi vicinæ, & in Ducatu Russiæ privativè pro eodem Du-
catu à Serenissimis Regibus Poloniæ institutæ, ac Protectioni
& Con:

P-18-2-890

40-2941



& Conservationi Illustrissimis Archi-Episcopis Leopoliensibus per Bullam PAULI V. perpetuò præcommiffæ. Quæ quidem Academia per multiplicatas in circuitu suo Religiofas Scholas distractionemq; Discipulorum, insignem sui incrementi diminutionem patitur, penitusq; per innovationem alterius Universitatis in hoc Ducatu interiret. Idcirco inhærendo etiam pactis & transactionibus quibusvis cum iisdem Patribus Soc: Jesu circa susceptionem eorum in hanc Civitatem Leopoliensem super non inferendo præjudicio, sive alias provisionaliter initis, necnon Bullæ ipsiusmet Sanctissimi Domini Nostri super præsentia Ereptione Universitatis cum hac saluberrima Clausula = *Sine tamen præjudicio alicujus* = concessæ, contra eosdem Patres Societatis Jesu & quosvis eorum actus pro innovanda sua Universitate Leopoliensi attentatos sive attentandos, uti & tanquam ut præmissum est, præjudiciosos, iterum solemnissimè, Nomine quò supra protestantur & manifestantur. Quam suam Manifestationem superscripti Perillustres ad hunc actum electi & deputati manibus propriis subscripserunt. Præsentibus Cancellariæ Scribis, Annò Domini Millesimò Septingentesimo Quinquagesimo Nono, Die Lunæ Decima Mensis Septembris.

LAURENTIUS OPEYDOWICZ C.C.L. m.pp.

LEO SIERAKOWSKI C.C. L. m.pp.

Ex Actis Consistorii Generalis Leopoliensis extractum, & Sigillò Illustrissimi & Reverendissimi STEPHANI de Mikulicze MIKULSKI Canonici Cathedralis & Sede Vacante Archi Episcopatus Leopoliensis Administratoris Generalis communitum.

(L.S.)

ADALBERTUS MIRKIEWICZ
Cancus Penitentiarius, Aplicus &
Consistorii Glis Leopoliensis Notarius.
m.pp.

A₂

PRO-

PROTESTATIO zda.

Ex parte Inclytorum Palatinatum
Voïhyniæ & Czerniechoviæ.

Roku Tysiac Siedmset Piecdziesiat Dziewiatego, Mie-
siacá Septembris, Dziesiatego Dniá.

NA Urzędzie Grodzkim, w Zamku Jego Krolewskiey Mości
Włodzimirskim przedemną MATEUSZEM ZALESKIM
Namiestnikiem Grodzkim Burgrábstwa Włodzimierskie-
go, y Księgami ninieyszemi Grodzkimi Stárościńskimi = Per-
sonaliter comparentes Perillustres Magnifici ac Generosi Do-
mini Officiales atq; Incolæ Palatinatum Voïhyniæ & Czer-
niechoviæ infra scripti, referendo se ad qualvis antea ctas² Pro-
testationes ab Equestri Ordine Regni, contra Patres Societat-
tis Jesu eorumq; Privilegium pro erigenda Universitate in-
Collegio Leopoliensi à Serenissimo olim JOANNE CASIMIRO
ad malè narrata in præjudicium Cracoviensis Academiæ, Annò
Millesimò Sexcentimò, Sexagesimo Primo obtentum, subsecu-
tas; specialiter inherendo Protestationibus trinis, *Prima* Co-
ram Actis Curie Varsaviensis Feriá tertiá ante Festum Sanctæ
Mariæ Magdalence proxima, Annò Domini Millesimò Sex-
centesimo, Sexagesimo Primo, per Magnificos ANDREAM de
Potok POTOCKI Halicien: Lezáńscien: Capitanum, VLADI-
SLAUM LUBOWIECKI Judicem Generalem Terræ Cracovi-
ensis, GABRIELEM SILNICKI Venatorem Leopoliensem &
alios Nuntios ad Conventum Generalem Regni ex Palatinatu
Cracoviensi & Terra Haliciensii Deputatos. *Secunda* Coram
Actis Castren: Cracovien: Feriá Sextá post Festum Sancti
Lucæ Evangelistæ proxima, Annò Domini Millesimo Sexcen-
tesimo Sexagesimo Primo, Nomine totius Nobilitatis Palati-
natús, à Deputatis ex Conventu Particulari ejusdem Palatina-
tús Officialibus & Dignitariis. *Tertia* Coram Actis Curie Re-
gni Varsaviensis Feriá Quartá post Dominicam Ramis Palma-
rum.

rum Quadragesimalem proxima, Annō Domini Millefimō Sex-
centesimo, Sexagesimo Secundo, ab Illusterrimis & Magnificis
Dominis JOANNĒ à Pieskowa Skala WIEŁOPOLSKI Becensi
Bochnensi &c. Capitaneo, Nuntiorum Terrestrium in Comitibus
protunc agitatū Mareščalco, cum aliis permultis fusiū in Actis
de Nomine & Cognomine, Regni & Magni Ducatū Lithvanie
Nuntiis specificatis, in hæc verba factæ. Quōd quamvis Patres
Societatis Jesu Collegii Leopoliensis optimè notum habeant, Rempubli-
cam Academia Cracoviensi Jagellonica, nè quidquam detrimenti pa-
riatur, omni ex parte superioribus Annis prospexisse, & omnia Illu-
strum Collegia, tam in Regno, quàm in Magno Ducatu Lithuania &
aliis Provinciis adjacentibus erecta & erigenda, respectu ejusdem Aca-
demie Cracoviensis quoad Jus legendi & Laureas conferendi, satis
circumspectè certis cancellis & limitibus circumscripsisse, utq; ea non
aliter quam sub tali circumscriptione ac limitibus erigi, & erecta sub-
sistere queant determinasse. Nihilominus tamen Ipsi, ut suo Collegio
Leopoliensi nova per Academicas Promotiones Dignitatis accessio fieret,
& per Generale Studium novus Universitatis deferretur titulus, in-
tendere, præsumperunt, & hucusq; præsumunt, non solum confirmatio-
nem Erectionis prætense Academia procurandam, sed etiam favores
varios, quin & subscriptiones quasdam, atq; ad Sanctam Sedem Apo-
stolicam intercessionem colligendo. Quæ omnia & singula in grave
præjudicium & convulsionem Jurium Academia Cracoviensis & Re-
gni totius vergere advertentes, præfati Magnifici & Generosi Nuntii
Terrestres & Magni Ducatus Lithuania, stando constantissimè circa
Jura ac Privilegia, Alma & Antiquissima Academia Cracoviensis, Le-
gibus Regni inserta, ac per Serenissimos Reges Polonia, ac Summos
Pontifices Romanos confirmata, simulq; inherendo omnibus illis quæ
præteritis Annis adversus similes Patrum Societatis Jesu Posnanie &
Cracovie intentiones sunt exhibita, & signanter insistendo Protestatio-
ni, tam quæ coram Officio Castrensi Capitaneali Varsoviensi Nomine
Magnificorum & Generosorum Nuntiorum Conventus Generalis pro-
ximè præteriti, quam quæ coram Officio Castrensi Cracoviensi Nomine
totius Palatinatus Cracoviensis Anno præsentis est facta, nihil utriq; in
minimo derogando, imò utramq; in toto approbando & ad præsens re-
assumendo protestati & manifestati sunt, hanc novam in Collegio Leo-
poliensi

poliensi Patrum Societatis Jesu Academia attentatam Erectionem, & Privilegii à Sacra Regia Majestate Domino Nostro Clementissimo ad malè narrata impetrationem, omniumq; privatim & publicè factarum instantiarum, tum subscriptionum & intercessionum genera ac instrumenta, se nec velle nec posse approbare, & nullo modo super eadem consentire, unde & de nullitate omnium istorum, cum contra formulam Legum & consensum ac voluntatem Ordinum fiant, protestantur, utq; pro irritis & nullis ab omnibus ubiq; habeantur, se laboraturos loco & tempore suis, ubi opus erit promittunt. Quam quidem protestationem & manifestationem suam Actis præsentibus Castrensibus Vlodimiriensibus insertam esse voluerunt, & nunc pariter contra eosdem Patres Societatis Jesu Collegii Leopoliensis protestati & manifestati sunt. Quòd ipsi in contemptum Autoritatis Equestris Ordinis, ejusq; Comitiatium Protestationum, vigore quarum Ipse Summus Pontifex olim ALEXANDER VII. Privilegium erigendæ Universitatis in Collegio Leopoliensi, in præjudicium Jurium Academiae Cracoviensis totiusq; Regni à Sacra Regia Majestate olim Joanne Casimiro ad malè narrata surreptum, à sua approbatione Apostolica rejecit, nihilominus ejusmodi Privilegium reclamatum, à centum prope Annis irritum & reprobatum innovare, captisq; instantiis & Intercessionibus ad Urbem Romanam, Bullam à Sanctissimo Domino Moderno Papa, CLEMENTE XIII. motu proprio pro erigenda nova Universitate in Collegio Leopoliensi clam impetrare præsumperunt, ac per ejusmodi erectionem non tantum antiquissimæ Scholæ Regni Academiae Cracoviensis, verum etiam ejusdæ Filia ac simul Sororis Academiae Zamoscensis, in omnibus Prærogativis per Summos Pontifices Romanos, per Serenissimos Reges & Serenissimam Rempubliam coæquata, Jura & Privilegia privativa evertere; signanter Privilegium Serenissimi Regis MICHAELIS de Annò Millesimo Sexcentesimo, Sexagesimo Nono, Cracoviæ ob memorabilia in Republica merito Magnifici JOANNIS ZAMOYSKI concessum, per quod ut Academia Zamoscensis tanquam Studii Generalis Universitas sola & una esset in Ditionibus Ducatus Russiæ statuitur, aliæq; Scholæ ad instar Academiae Cracoviensis omnino prohibentur, ac conse-
cutivè

entive à Serenissimis Regibus JOANNE III. AUGUSTO II.
AUGUSTO III. feliciter Regnante confirmatum, approbatum
& conservatum, necnon Constitutionibus Regni Generalibus
Annò Millesimò Sexcentesimo Septuagesimo Septimo, circa
approbationem Patrum Chelmensium Scholarum Piarum, tum
Annò Millesimo Sexcentesimo Octogesimo Quinto, circa ap-
probationem Clericorum in communi viventium, in Dioeceses
Polsnaniensem & Luceoriensem introductorum salvatum, ac
etiam circa finem Pastorum Conventorum Anni Millesimi
Sexcentesimi Nonagesimi Noni, & Anni Millesimi Septingen-
tesimi Trigesimi Sexti, Articulis: *Ad extremum*, conjunctim cum
Juribus & Privilegiis Academiae Cracovien: eidem Academiae
Zamoscen: præcustoditum & præmunitum; contra expressam &
perpetuam prohibitionem per Diploma Serenissimi olim AU-
GUSTI II. Regis, de Datum Cracoviae Die Trigesima Prima
Mensis Maji Annò Domini Millesimo Septingentesimo Sexto,
super non innovando Studio Anatomico, aut Universitate Leo-
poliensi emanatam, ac notitiæ & attentioni Palatinatum
Russiæ, Volhyniæ, Capitanei Leopoliensis, & Magistratus ejus-
dem Civitatis à Sacra Regia Majestate commendatam, convel-
lere, perindeq; pacem turbare, locum litibus aperire aggressi
sunt. Quapropter, cum hæc omnia attentata, abusus in vilipen-
sionem Legum publicarum, deteriorationem antiquarum Fun-
dationum & ambitum præpotentiæ vergant, reassumendo omnia
illa quæ contra similes molitiones Patrum Societatis Jesu Præ-
decessores modernorum Protestantium fecerunt, protestantur,
atq; ut hæc similiter annullentur, se loco & tempore, ubi opus
erit enixè laboraturos promittunt.

JOZEF ná Cieszkanie CIESZKOWSKI Kasztelan Czerniechowski *m. pp.*: PIOTR RADZIMINSKI Chorąży Wołyński C. H. W. K. *m. pp.*: HIERONIM GOSTYNSKI Chorąży Czerniechowski *m. pp.*: FRANCISZEK DOGIL CYRYNA, Sedzia Ziemiański Nowogrodzki Starosta Taborowski *m. pp.*: JAN CHORZEWSKI Sedzia Ziemiański Czerniechowski *m. pp.*: SZYMON JOZEF z Cieszkowa CIESZKOWSKI Podśedeck Ziemiański Nowogrodzki *m. pp.*: PIOTR STECKI Komornik Graniezny

Czernie.

Czerniechowski *m.pp.* KAZIMIERZ OBNISKI Cześnik Dro-
hicki *m.pp.* KASPER HORAIM Podcząszy Wołyński *m. pp.*
FRANCISZEK KORYAŁOWICZ Kurczewicz *m.pp.* STEFAN
CIESZKOWSKI *m. pp.* M. BOZYDAR PODHORODENSKI
Miecznik Nowogrodzki *m.pp.* ANTONI WISNIOWSKI Cze-
śnik Wiski *m. pp.* LUDWIK WŁADYSŁAW PODHORO-
DENSKI Piłarz Ziemski Wołyński *m.pp.* WOYCIECH OSŁO-
WSKI Woyski Nowogrodzki *m.pp.* ANDRZEY OMOKO-
WSKI *m. pp.* A. HULEWICZ Łowczy Infląński *m. pp.* MI-
CHAŁ PUCHAŁA CHYSINSKI W. Grodzki Beński *m. pp.*
MACIEY PRUSZYNSKI *m.pp.* STEFAN IGNACY MANIE-
CKI Podcząszy Czerniechowski *m.pp.* WOYCIECH POSTRU-
SKI *m. pp.* JAN KOMOROWSKI *m. pp.* WOYCIECH PL-
NINSKI Woyski Czerniechowski *m. pp.* JAN WOYNA O-
RANSKI *m.pp.* T. LEDOCHOWSKI Choraży Łażyński *m.pp.*
JOZEF WOLANSKI Stolnik Infląński Podstarości Grodzki
Horodelski *m.pp.* TOMASZ JASIENSKI Komornik Ziemski
Chełmski *m.pp.* J. D. STRZELNICKI Win. Podstoli *m. pp.*
JERZY IWANOWSKI *m. pp.* SWIETOSŁAW RUSSANO-
WSKI Podcząszy Grąbowiecki *m. pp.* ANTONI JASLIKO-
WSKI Starosta Parnawski *m. pp.* JOZEF WOYNA ORANSKI
Podstoli Nowogrodzki *m. pp.* MARCIN WIERZCHOWSKI
Skarbnik Mielnicki *m.pp.* JOZEF CZACHORSKI Komornik
Ziemski Nowogrodzki *m. pp.* Z których Xiąg y ten Wypis
pod Pieczęcią Grodzka Włodzimierska iest wydany, pisany w
Zamku Włodzimierskim,

(L.S.)

Correxio LIPOWSKI, Legit MACEWICZ.

KSIĘGOZBIÓR
MARCINA ZAMOYSKIEGO

4557 -KZ

4510-KZ

